

ne ac confirmatione nostra tam in ipsis possessionibus quam in omnibus, que solent aut possunt ibidem exerceri vel fieri, plenam, ut illi, qui totum dantes nihil retinere de toto habent potestatem, tam scilicet in admittendis aliquibus ad necessarios usus sub debita et solita datione quam etiam excludendis, quidam ecclesiarum monasteriorumque prelati et abbas ac monachi, de Patyro specialiter inter eos, domini quoque castrorum et homines civitatum autoritate propria possessiones ipsas et pascua Florentis monasterii violenter invadunt spreta prohibitione et pena contra huiuscemodi violentis et temerariis indicitur per privilegia memorata. Significaverunt etiam, quod quidam de Calabria et Vallis Gratis in sua dudum pravitate potentes et utentes libera voluntate multipliciter hactenus pulsaverunt eos damnis rerum et iniuriis personarum, alii etiam infra possessionum terminos predictorum abbatis et conventus non requisita licentia nec soluta iusticia faciunt furnos, picis, fractas et venationes alias in damnum et perturbationem ipsius monasterii exercentes; insuper castellanus Sancte Severine contra libertatem, quam iidem^{b)} habent in accipiendo salem libere de salinis, prohibet eis, ne de salina Neti libere illum, sicut solent nec eis de quinquaginta bisanciis auri, quos de redditibus ipsius saline debet percipere annuatim, in aliquo respon..... Que omnia tanto gravia ferimus, quanto ad iniuriam fundatorum et contentum nostri nominis videntur monasterii Florentis oppressio redundare. Quare fidelitati vestre mandamus et sub pena gratie nostre districte precipimus, quatenus vel simul omnes vel aliqui vestrum, ad quos hec scripta pervenerint et exequutioni^{c)} presentis mandati poteritis interesse, animalia, que in tenimentis eiusdem monasterii Floris sine^{d)} concessione^{e)} vel permissione^{e)} prenominatorum abbatis et fratrum Floris pascuntur aut habitant, quorumcumque sint, ab eisdem finibus scriptis in ipsorum privilegiis abigentes vel facientes eiici, penam ex illis, quam contempsisse visi sunt, ad opus nostrum et eorum, qui iniuriam passi sunt, accipere debeatis et ceteros sub simili pena a presumptione simili prohibere et ut furnos, picis aut venationes aliquas in damnum seu preiudicium ipsius monasterii exercere non presumant nec debitam de ipsis operibus iusticiam retinere et de illis specialiter molendinis ferri, que fiunt in Sabuto in Campo Rotundo, quem terminus tenimenti Floris includit, debitam eis faciatis percipere rationem similiter de bisanciis memoratis, qui de salina Neti debentur eisdem, nullatenus sustinentes, ut aliquis in aliqua sua eis pre-

XI. b) davor drei Buchstaben getilgt M
tem Wort M

c) M

d) übergeschrieben über getilgt-

e) danach m getilgt M